Quomodo ſoli inter ſe anguli comparentur, oſtendunt Theoremata X. ſequentia.

THEOR. I. Cujuscunq; Trianguli omnes tres anguli ſimul ſumti æquantur duobus angulis Rectis.

Quomodo hoc Theorema apud Euclidem demonſtretur, *prop. 32. lib. I.* videatur ſuo loco: nos ἀπόδειξιν ſequentem ſubjicimus. Ex ſuperioribus conſtat, cum linea lineæ perpendiculariter inſiſtit, fieri ex utraq; parte perpendicularis angulos Rectos: itaq; & in appoſito Schemate lineæ AD & BE ad AB perpendiculares, angulos DAB & EBA Rectos facient. Hæ verò tres lineæ, quàm diu ſupernè hiant, nec concurrunt, aut ſpacium interceptum concludunt, nullam figuram conſtituunt. Quam primum autem verticibus ſuis D & E in ar-



cubus DC & CE annuerint; accedent magis magisq; ad Figuræ conſtitutionem: donec tandem in puncto C concurrentes Triangulum ABC faciant. Quæ itaq; menſura prius erat duorum angulorum priorum DAB & EBA à lineis DA, AB, & BE comprehenſorum, eadem etiam menſura manet invariata trium angulorum CAB, ABC & ACB, poſtquam lineæ illæ ad eam conniventiam acceſſerunt, ut Triangulum ABC conſtituerent. In eo enim Triangulo manet AB, ut prius erat: AC etiam æquatur lineæ AD, BC verò lineæ BE: ſed anguli DAE & EBA decreverunt, & ex Rectis degenerarunt in acutos CAB & CBA, eâ tamen lege; ut, quod utrimq; deceſſit angulis Rectis, id numeretur conjunctim pro angulo ACB. Ductâ enim ex C ad AB perpendiculari CF, erunt DA, CF, & EB parallelæ, anguliq; DAC & ACF, itemq; EBC & BCF ἐναλλὰξ poſiti vel